

338* rent quoad hujusmodi electio integre facta esset, et alia omnia agendum, tractandum et exequendum, quæ necessitates et præfatæ constitutiones exegerint. Et cum autem per nominatum terminum nos sex principes coelectores, et pro domino Ludovico rege et regno Bohemiæ dominus Ladislaus de Sterubero supremus cancellarius ejusdem, Franchfordiæ ad Menum comparuissemus, celebrari fecimus die veneris decima septima Junii in templo sancti Bartholomei ibidem honorifice et solemniter missam Sancti Spiritus, et ea celebrata, omnes et quilibet nostrum per se ante magnum altare ad sancta Dei Evangelia juramenta quæ cæsareæ constitutiones et bulla aurea exprimunt, corporaliter ad Deum Optimum Maximum omnesque cœlites solemniter præstitimus et fecimus, ac deinde nos in conclave reduximus, ubi ejusmodi electio Regis Romanorum fieri solet. Et ibidem negotium electionis aggressi, postquam maturam deliberationem et variis ac justissimis de causis et præcipue rempublicam christianam et Sacrum Romanum Imperium concernentes, diem electionis concorditer ad diem Lunæ XXVII Junii distulimus et continuavimus. Et cum dies illa illuxisset et nos interim tractavissemus; quæ multifarie maxime rempublicam christianam et Imperium concernebant, denuo solemnem missam Sanctæ Mariæ dominæ nostræ celebrari et cantari fecimus. Et ea finita, recepimus nos in præfatum conclave et negotium electionis suscepimus, et post maturum consilium et deliberationem iterum unanimiter usque ad diem Martis proxime sequentem, distulimus et continuavimus. Quo die in diluculo officium missæ Sancti Spiritus denuo solemniter et honorifice celebratum fuit, et post hujusmodi sacra ad deputatum conclave convenimus et negotium electionis in Dei nomine Omnipotentis concordibus nimis perficere deliberavimus. Et nos cardinalis, tamquam archiepiscopus Maguntinensis, exploravimus et exquisivimus suffragium et votum justa constitutiones cæsareas aliorum principum coelectorum cujuslibet per se. Et nos alii principes electores et deputati omnes, simul et e diverso exploravimus et exquisivimus votum et suffragium domini Alberti cardinalis tanquam archiepiscopi Maguntinensis; in quibus invenimus et cognovimus quod nos omnes unanimiter nullo contradicente et suffragia et vota nostra personæ regiae Majestatis vestræ dedimus, direximus et contulimus. Quapropter nos Hermanus Coloniensis, Ricardus Treverensis archiepiscopi, Ladislaus dominus de Scomberg mandatarius regis et coronæ Bohemiæ, Ludovicus comes palatinus ad

339

Rhenum, et Federicus dux Saxoniae, et Joachinus marchio Brandenburgensis etc. præfati omnes simul et quilibet per se, dedimus et concessimus præfato domino Alberto archiepiscopo Maguntinensi plenariam et omnimolam potestatem et facultatem nomine dilectionis suæ et nostrorum omnium Regiam Majestatem et celsitudinem vestram in Regem Romanorum et futurum Imperatorem auxilio Dei Omnipotentis evehendi, eligendi, declarandi, nominandi, pronuntiandi, publicandi, quemadmodum et a dilectione sua, sicuti conveniebat in conclavi, apud nos in septem. Et postea de suggesto præfati templi Sancti Bartholomei, adstante populi moltitudine et turba, publice promulgatum et publicatum fuit cum sequenti cantu exaltationis Te Deum laudamus et aliis sollicitis ceremoniis et solemnitatibus gaudii et lætitiæ ejusmodi concordem et unanimum electionem de persona Regiæ Majestatis Vestræ. Nos sincero et fideli animo eidem notificamus humiliter et obsequiose, rogantes velit hanc electionem et singularem ac fidelem voluntatem nostram benigne et clementer suscipere, Sacro Romano Imperio et reipublicæ christianæ diligenter, fideliter, et cum tranquillitate præesse, et dominari omnes nos, et quemlibet nostrum tanquam principaliora Imperii membra, Sacrum Romanum Imperium, dominia nostra ac subditos nostros clementer comendatos suscipere, in orbe christiano Romani Imperii unionem facere et manutenere, ac omnia alia fideliter, et indefesse præstare quæ ad Romanorum Regem pertinent. Quod nos erga Regiam Majestatem Vestram tanquam erga dominum nostrum clementissimum cum personis et bonis nostris et omnibus quibus possumus, humiliter, diligenter, fideliter, prompte et libenter promerebimur. In cujus fidem nos Albertus Maguntinensis, Hermanus Coloniensis etc., præfati omnes et quilibet nostrum ad præsentantes sigilla nostra appendentia et a duobus notariis publice subscribi fecimus. 339*

Data et actæ Franchfordiæ ad Menum Maguntinensis diœcesis, in choro et conclavi ecclesiæ sancti Bartholomei, anno a nativitate Domini 1519 indictione septima, pontificatus etc. Die Martis vigesima octava Junii, hora nona ante meridiem, præsentibus ibidem etc.

In litteris 28 Julii usque primo Augusti
Oratoris veneti in Hispania.